



A.

Blätter 1113 - 23. 25. 27 - 31. 34 - 35. 37 - 38.  
40 - 42. 44 - 50. 52 - 53. 55 - 57. 59.

18

De Nominibus Christi cum apiculis, facile liquet sermonem nobis ex de Nominiis non propriis sed realibus  
qualia confessus illa Ista. p. 15. d. 1812. M. 1571, et quod Mafemus. *Levi*. Nomen enim pro appell.  
latio vel nota rei. sic de Nominiis dei sunt qui scripsero.

Q. D. B. V.

DISSERTATIONEM PHILOGICAM  
EX ANTIQUITATE IUDAICA

De

# NOMINIBVS CHRISTI,

## EXINANITIONEM IPSIUS

DESIGNANTIBVS,

RECTOR MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DN. PHILIPPO WILHELMO,  
PRINCIPE BORVSSIAE, MARCHIONE  
BRANDEBVRGICO, ET DVCATVS MAGDEB.  
GVBERNATORE, CETERA,

Consentiente Amplissimo Collegio Philosophico,

PRAESIDE

M. CHRISTIANO BENEDICTO  
MICHAELIS,

FACVLT. PHILOSOPH. ADIVNCTO,

D. XI. Jul. 1812. XI.

H. L. Q. C.

Publico Eruditorum examini subiicit

HVL. SIGM. IORDAN FRIDERICI,  
Rosla-Thuringus.

HALAE MAGDEBVRGICAE, LITERIS SALFELDIANIS.

Philologicam dicimus nos  
principij ex quo deducuntur,  
modi quo tractantur, et  
genus, in quo diriguntur.

Ex Iudeis? Inquis. Et hebreo  
christi, tant. ac iudeos?  
Non nego penitus. Sed ex  
magis iudeorum laudabili  
lens saloppelisse operam, cu  
ex illis quoniam veritatis le  
gimonis collegiantur. Virgi  
lius quoniam aliquando co  
prehenderetur Enay posse  
legere, interrogatus quoniam  
aperat, respondit: Anari  
ce ex Danij. Aerose col  
ligere. Taviter nos.

DISSERTATIONE M. PHILIPPICAM  
EX UNIVERSITATE LUDWIGAE

NOMINIBVS  
CHERISTI ER-

LUXURIAE IPSIAS

ACCORDA MAGNIFICENTIA MUNO.

SEPARATISSIMA PRIMARIA AC DOMINO.

DISCIPULIS HEBRAICO.

ILLVSTRISSIMI COMITIS  
ILLVSTRISSIMIS COMITIBVS  
AC DOMINIS,  
DOMINIS  
CHRISTOPH FRI.  
DERICH  
ET  
IOST CHRISTIAN,

Comitibus de Stolberg, Koenigstein,  
Rochefort, Wernigeroda & Hohnstein, Dy-  
nastis de Epstein, Mynzenberg, Breyberg, Aig-  
mont, Lohra & Clettenberg, cetera,

COMITIBVS AC DOMINIS  
MEIS CLEMENTISSIMIS,

Felicitatem!

ILLV.

ILLVSTRISSIMI COMITES,

DOMINI CLEMENTISSIMI,

**I**LLVSTRISSIMIS NOMINIBVS  
VESTRIS audeo Dissertati-  
onem ex antiquitate lu-  
daica de Nominibus Chri-  
sti, exinanitionem ipsius designanti-  
bus, tanquam specimen exercitii mei  
Academici, consecrare. Quam ad  
rem non temeritas aliqua me exstimu-  
lauit, sed pietas, qua VESTRAE Cle-  
mentiae prægnantissimis de caussis  
obstrictus sum. VOS namque, ILLV-  
STRISSIMI COMITES, summus rerum Ar-  
biter

biter Dominos, & quasi Deos terre-  
stres patriæ meæ dedit: iure igitur pot-  
estis, vt Deus ipse quondam a popu-  
lo suo animalium frugumque primitie  
as, sic studiorum meorum primos a me  
fructus postulare. Accedit alia ratio,  
quæ me singulariter mouit, plurimo-  
rum videlicet maximorumque bene-  
ficiorum VESTRORVM recordatio, qui-  
bus non modo paternam familiam, sed  
me quoq; in primis mirum in modum  
ornauistis: quæ vt deuotissima ac sub-  
iectissima mente semper æstimaui, sic  
deliberanti, quomodo animum tot  
Clementiæ documentis obstrictum  
declarare publice possem, commodior  
nulla visa est, quam si præsentem hanc  
lucubrationem VOBIS, ILLVSTRISSIMI  
COMITES, dicarem. Accipite igitur,  
quod offero, serena fronte, vt ab ani-  
mo deuotissimo profectum, mole qui-  
dem

dem exiguum ac tenuem, argumentum  
tamen ratione (ut spero) non omnino  
spernendum. Deus autem VOS, ILLV-  
STRISSIMI COMITES, seruet quam diu-  
tissime, adaugeat corporis animique  
vires, ac benedicat Vobis benedictio-  
nibus cæli desuper, & benedictioni-  
bus abyssi iacentis infra, ut incremen-  
ta DOMVS inclyta VESTRA capiat sem-  
per splendidiora! Quod vouet,

ILLVSTRISSIMI ET CLEMENT. COMITES,  
ILLVSTRISSIMORVM NOMINVM VESTRORVM

HVLDSIGM. LORD. FRIDERICI.

Σύνοψις.

Crux Christi fuit quidem Iudeis iam olim & bodineum abominationi §. I. Nihilominus vero restant in scriptis illorum preclara de passionibus & exinanitione Messiae testimonia, seu prijsa & purioris Theologia vestigia, quale vnuia adfertur ex Ialkut §. II. Scopus noster est, talia de Nominibus Christi collecta dare §. III. adeoque de bimili eius ortu & conditione allegantur & illustrantur nomina Ramus tener, Humilis arbor, & Arbor arida, ex Ez. 17.22.24. §. IV. Filius Lapsorum, cuius nominis occasio oracula Amos. 9, 11. aliter sentiente licet R. Danid Cohen de Lara, quasi alluderet ad Dan. 7,13. §. V. Minimus filiorum Iudee, ex Targ. Gen. 49,10. quod conferatur cum Matth. 11,11. §. VI. De paupertate eius citatur Miser seu Adflictus, ex Zach. 9, 9. §. VII. quod quomodo Iudei cum Dan. 7,13. conciliare tentent, commonstratur §. VIII. De Passionibus eius testantur nomina, Saluandus Zach. 9, 9. quod passine explicamus sec. grammaticam §. IX. Contemtus, Flaccidissimus virorum, Vir dolorum, Notus morbo, A quo facies occultatur, Adfectus plaga, Percussus a Deo, Adflictus, ex Eze. 53. §. X. e quibus speciatim consideratur Adfectus Plaga §. XI. Porro Vermis, Probrum mortalium, Hominum contemptissimus, ex Ps. 22,7. §. XII. Lapis ab Architectis reiectus Ps. 118,22. §. XIII. quod ex Kimchijo ulterius declaratur §. XIV. Lapis offensionis & petra scandali Esa. 8, 14. §. XV. Filius Iosephi vel Ephraimi §. XVI. quod quomodo ad nostram pertinere possit tractationem, ostenditur §. XVII.

A 2

§. I.

**C**rus Christi abominationi est nostri temporis Iudeis. Seruant nimirum maiorum suorum in-dolem, ab Esaias luculenter expressam, cum cap. LIII. inter alia sic loquentes inducuntur: *Negue forma aut decus ei erat, ut ipsum aspectaremus, neque species, ut desideraremus.* Nec enim alia de MESSIA mente con-cipiunt, quam quæ splendida sunt, quæ magnifica, quæ gloriae plena. Humilitatem igitur nostri Iesu, secun-dum quam in forma serui apparuit, aspernati iam olim sunt, & aspernantur etiam nunc: quia quæ de Messia suo præsumunt, ea in Seruatorе nostro & maiores desidera-runt, & desiderant posteri. Adeoque qui *hic avagatio* hu-mano generi datus fuit, is ipsorummet culpa miseris, proh dolor! petra scandali & lapis offensionis exstisit.

*Nam et in iuventute vel cogitanti  
iudicium veritatis confessio  
eredit, ut R. Sal. ad Ps. II.  
Predicas. Vt inquit dominus inter  
valibus tuorum corporis, & alios  
pro eos in individuo, unigeniti  
ores item ei recentiores.*

*Vid. Grot. M. de Appto  
concretive spectando ne quis  
dicet eum creatum esse.*

§. 2. Nihilominus scripta Iudeorum, in primis an-tiquiora, volentibus ea subinde loca occurunt, quibus egregia veritatis testimonia de voluntaria Christi exina-nitione ac passionibus, hominum caussa suscep-tis, conti-nentur. Ex multis vnum tantummodo, idque illustrius, exemplum dabimus. In Ialkut Schimeoni super Esaiam f. 56. col. 3. 4. dicitur Deus pactum iniisse cum Messia, quem ipsum crearet. Id pactum ita habet: *Dixit ei Deus benedictus, peccata horum, qui apud te sunt recondiri, cogent se ferreum subire iugum, similemque facient vitulo, cuius ocu-li caligant, arque igo isto spiritum tuum suffocabunt, & propter peccata eorumdem futurum es, ut lingua tua palato tuo adhæreat: adquiescere huc conditioni?* Respondit Messias Deo benedictio: *Mundi arbiter, forte multos annos durabit iste*

bat

bac afflictio? Cui Deus benedictus, per vitam tuam, inquit,  
& per vitam capitum tui, hebdomadem unam super te decreui  
(cfr. Dan. 9, 24. seqq.): quod si anima tua renuat, confessim  
eos extrudam. Respondit ei Messias: Arbiter mundi, cum  
gaudio & latitia cordis mei 48bac in me suscipio, bac qui-  
dem conditione, ut nec virus ex Irael pereat, atque ut non-  
solum viventes in diebus meis saluentur, sed & hi, qui iam con-  
diti fuerint in puluere; neque solum saluentur mortui in die-  
bus meis, sed & ipsi, qui mortui fuerint, inde a diebus Adami  
primi ac deinceps; neque bi tantum, sed & fœtus abortiu;,  
neque abortiu tantum, sed & quoseunque decreuisti creare,  
nondumque existunt. Sic tibi astipulor: bac conditione in me  
suscipio. Dixerunt Rabbini: Illa hebdomade, qua Messias  
filius Davidis veniet, trabes ferreas adferent collo ipsius im-  
ponendas, donec statuta eius incurvetur; ipseque clamabit &  
flebit, ita ut vox eius in celum ascendat. Dicet Deo: Mun-  
di arbiter, quanta est vis mea? quantus spiritus meus atque  
spiraculum? qualia membra mea? annon ego caro & sanguis  
(homo caduus) sum? Propter istam horam plorauit David,  
& dixit Ps. XXII. Exaruit sicut testa vis mea. Tantum  
pro scopo nostro sufficiat! Qui plura huius generis co-  
gnoscere avet, adeat Raymundi Martini Pugionem fidei  
passim, Esdra Edzardi Consensum Antiquitatis Iudaicæ  
p. 1 seqq. & Aaronis Margalitha Tractatum de Passionib;  
bus Christi. Quis vero neget, reliquias has esse, vel, si  
magis lubet, rudera & vestigia prisca eiusque purioris  
de Christo Theologie Iudaicæ? Quæ si valent ad illu-  
strandam veritatem religionis Christianæ, & ad facilio-  
rem gentis Iudaicæ conuictionem, sunt vtique diligen-

ter ex Rabbinorum monumentis colligenda, collecta solle  
citate conferuata, velut tabulae ex naufragio, aut velu  
ti vniōnes rupto filo sparsi ac per quisquilias diffusi.

§. 3. Ad hunc igitur finem in praesenti tendunt communia nostra, instituto tamen paulo specialiori. Biblica videlicet attingimus quidem, ea tamen non aliter tractamus, nisi in quantum Rabbinicis testimoniis stipata inuenimus. Neque vero animus est, quidquid qualicunque modo de exinanitione Christi docent Rabbini, collectum dare, sed nomina tantum, quibus Messiam propter hanc exinanitionem ipsius nuncuparunt.

§. 4. Ac de humili quidem ortu & conditione Messiae possemus hic complura proferre nomina, cum ex sacris, tum ex Rabbinicis scriptis, nisi hanc operam iam occupassimus, cum Nomina Christi, humanam ipsius naturam designantia, exposuimus. Vnum alterumque nobis in praesenti sufficiet. Et primo quidem loco allegamus Ez. XVII, 22, vbi Deus, *Ramum tenerum*, inquit, *decepam atque plantabo* -- v. 23. *& sicut is cedrus magnifica*. Quemadmodum enim cedrus magnifica Christum in statu exaltationis figurat, sic ex aduerso *tener ramus* eundem in statu exinanitionis pingit. Quod vero de Messia hic sermo sit, testis est R. Salomo, qui initium huius commentarii ita explicat: *Accipiam ego אלה מלך המשיח Regem MESSIAHM* &c. Testis est quoque *Abarbanel*, qui quum interpres istam promissionem de Zorobabel explicare nota-  
set, hanc subiungit εἰπεισοι: *Dura*, inquit, *hęc mibi sententia videtur, quia Zorobabel non regnauit Hierosolymis*. -- Itaque colligo, *vaticinium hoc non ad Zorobabelēm, neque ad tempus*

๙๐

tempus secundi Templi (loquitur de aduentu Messiae ex hypothesi Iudaica) sed ad futurum pertinere, מֶלֶךְ הַמִּשָּׁה יְהוָה ad Regem Messiam, quem cito reuelari cupimus. Ibidem v. 24. pergit Ezechiel verbis Iehouæ: Con-gnoscet omnes arbores agri, quod ego Iehoua humiliauerim arborem altam, & exaltauerim e contrario humilem; areficerim arborem viridem, & virere fecerim aridam. In quo vaticinio Humilis arbor aridaque Messiam denuo in statu exinanitionis designat, sicut ex opposito Alta ac virens familiam Daudicam, mundani gloria regni superbientem. Id quod nexus cum antecedentibus satis superque euincit. Addimus tamen Rabbinicum testimonium ex D. Kimchio, qui licet ad Zorobabelem hoc dictum impertinenter detorqueat, fatetur tamen, esse inter suos, qui contextum hunc exponant לְהַמְשִׁיחָה, Paraphraста Chaldaici, esse.

§. 5. Huc nobis pertinere videtur consimile Messiae nomen בר נפלֵי Filius lapsorum. Nimurum in Tr. Talm. Sanbedrin c. XI. f. 96. b. fertur R. Nachman ex (Raf) quæsiuisse רַב אַיִתָּה אֲחֵי בר נפלֵי Numquid fando acceperisti, quando venturus sit FILIUS lapsorum? Cui hic, inquit, indigitas Filium lapsorum? Ille, MESSIAM, inquit. Nempe illum (pergit Raf) Filium lapsorum nuncupas? Sane quidem, inquit R. Nachman, רב חביר בִּזְבַּח הַחֹוֹן אֲקִים אֵת סֻכָּה דָר הַנְּפָלָא: ideo, quoniam scriptum est Amos 9, II. Bo die erigam rugrium Dauidis collapsum. Adparet, nominis occasionem fuisse oraculum illud Amos de Messia: sed quid proprius significet, id non æque planum est. Raymundus Martini

De hoc nomine videbis locum  
et explicabim egyptiis in libro  
117 ipsi (qui vocatur diversus ab  
illo qui in usitatis notis est)  
Francof. ad Odieram non ita  
pridem impresso. f. 51. 2.

in Pug. Fid. f. 672. *Filium cadiuum reddidit; Frisbmuthus*,  
vero in Disp. *Eli Eli lama sabactani* c. I. §. 6. *Miserum & ca-*  
*dum interpretatus est. Nostram versionem sic expla-*  
*namus. Erant Davidis posteri inde a Babylonica capti-*  
*vitate נפלcadentes, lapsi; Messias igitur, qui ex his ortum*  
*habiturus erat קדשו טהרה, est בָּר נְפָלָתָה*. *Filius lapsorum, hoc*  
*est, tenui ac inope familia natus. Tacendum vero non*  
*est, esse inter Iudeos, qui hanc appellationem ita inter-*  
*pretantur, ut maiestatem Messiae potius, quam humili-*  
*tatem signet. Nam R. David Cohen de Lara (citante Cl.*  
*Beckio in Notis ad Targum i. Par. 3, 24. f. 54.) in Lexico*  
*suo Ketber Kehynna fol. 27. a. lin. 46. haec habet: בָּר נְפָلָתָה סִבְבָּס אֶת סֻכָּה דָּר כַּיּוֹם הַנְּפָלָת וְזֶה*  
*ואנו אומר נְפָלָת לְזֵה וְעַבְרָנוּת עֲנֵנִית וְקָרָא כֵּן הַמְשִׁיחָה עַל*  
*שם כְּהַשְׁכָּבָב בְּגָנָאָר (אָז) וְאַרְעָם עַנְיוֹנָם כְּבָב אַנְשָׁהָר*  
*Bar Nepbeli (quod in Tr. Sanbedrin f. 62. occurrit) vocatur*  
*Messias, quoniam erigit tugurium Davidis הַנְּפָלָת collapsum*  
*&c. Ego vero arbitror, נְפָלָת esse vocem Graecam νεφέλας,*  
*que nubes significat: ita ergo Messias appellatur secundum id-*  
*quod scriptum est Dam. 7, 13. Ecce cum nubibus cali sicut Filius*  
*homini venit. Cf. Marc. 14, 62.*

וְעַיר בְּנֵי רֹהוֹרָה  
וְעַיר בְּנֵי Nomina humana  
nam Christi: nōm designat Minimus filiorum Iude, quo Messiam describit tonathas in  
pertinere p̄nīus, q̄d Exibit, s̄ndicat Chaldaica paraphrasi ad Gen. 49, 10. cum verba donec  
Paraphraſes enim in mente habeat. וְעַיר בְּנֵי מִשְׁׁרָיוֹת בְּרָכָה פְּשִׁירָא  
il. bone nominis s̄p̄tologij. וְעַיר בְּנֵי Usque dum veniat Rex Messias, Minor vel Mini-  
am. s̄p̄tologij explicata dōmīnūlīmus filiorum eius, sc. Iude. Equidem nota est coniectura  
filius eius, q̄d a בְּנֵי: q̄d Buxtorffii in Lex. Talmud. sub voce col. 1269. exi-  
cōntentum cum בְּנֵי secundā  
flamantis, quasi Paraphraſes alludat ad factum in secun-  
dā. 28, 5. Talm. בְּנֵי embrio matut. At. Ioh. fecit mas, p̄c. recessus noctis; q̄ extremitate dōmīs  
Jew extremit. Cui expeditiōni Subteritū etiam P̄fessor Excertit. Bibl. de Schol. p. 91. 109.  
Id est. Nos δ̄ negamus, hanc etymologiam in animo Paraphraſes suisse; concedimus etiam na-  
turali Regi humanae hac voce designari: in hoc tantum differimus, quod in ea significare non  
dūm subfūrīm, effimantes ulterius recipi ad voluntariam gloriū humilitatem. Quis vero sen-  
tēt etiā habebat tamen (1) quia Paraphraſes δ̄ Paraphraſes verit̄ Filius eius: nec etiam Filius  
alḡ aut parvus erit filius, quoniam ei sc̄ ipse tractationi accommodaverit effici; sed parvus,  
i.e. Minimus filiorum eius, quia cognitio hyperlatitudine effici, ut in γράμμα. (2) ob  
harmoniam phrases δ̄. sc̄ coll. Matth. u. u. (3) Pfaffery ipse sic dictum, partem ob sensu inīdū in  
affusa vnde humana. Interim nota, Philostrati οὐδὲ γνῶστος θεοῦ Deut. 28, 57. pariter  
veriffie in parvulus (an in secundinas?) filiorum p̄tronum.

Post quidem argumentum fisi:

Dicendi explicatio in Christo.

In Iohann. Christus est ipso scriptura.

Si concordia scripturae et litterarum.

Merito improbadanda est; Atque.

Nom.

dinis contentum, forte quod secunda sono conuenit cum nomine Schilo. Verum est admodum verosimile, vtterius respiciat voluntariam Christi humilitatem, qua se ita demisit, ut infimo esse loco elegerit Esa. 52, 14.

Cognatum est ad Parvus: adeoque conferri potest Ps. 63, 28. Ibi Benjamin Parvus dominatur eis; praesertim cum alibi demonstrandum sit, Benjaminus Iudeis Messiam vocitari. Sic idem Paraphrastes

cum Targ. Hieros. vtitur isthac nomine Num. 23, 10. ve-

nam sit finis meus כוּשָׂרָא רִי בְּחֹן sicut minimi, qui est inter

ilios. Certe Christus ipse in N. T. se nominat τοι μικρότε-

ειν τη βασιλείᾳ της δόγματος. Minorem in regno celorum,

Matth. 11, 11, coll. v. 6. Neque a ratione est alienum, hunc esse pauperem illum virum, de qua parabola Coh. 9, 15. 16.

qui, licet nemini aestimatus suisset, tamen res magnas in

humilitate ac paupertate sua gessit, coll. 2. Cor. 12, 9. Quod

igitur Hebrai in Breschit Rabba f. 8. b. ex Gen. 48, 14. de

Ephraimo auint, שׁוֹרֵה מַצְעֵר אֶת עַסְקֵל.

Quid significat illud Nomen Parvus? quod parvum se ipse

ficerit in negotiis suis; id multo magis in Christum qua-

drat, qui se de summo demisit ad imum: sicut ibidem argu-

mentantur, Quod si parvus, cum parvum se gessit in suis actio-

ibus, Primogenitus fieri meruit, אֲחָת כִּמְתַבְּרֵךְ

parvum se gesserit. Et quod R. Bechai Comm. in Leg. f.

184. b. viris iustis cognomen Parvorum asserit יעַקְבָּר חַקְמָה עַל אֶחָת כִּמְתַבְּרֵךְ.

Iacobus Parvus, Samuel Parvus, David Parvus; id eminentiori ratione de Meflia verum est,

qui peculiari sensu fuit Minimus.

B

Per instanciam: Parvus vel ratione

convenit Christum, qui locum,

Ex. 52, 14. וְאֶת־בְּנֵי־יִשְׂרָאֵל וְאֶת־בְּנֵי־יִשְׂרָאֵל de Christo, ut debet, explicat.

Immo commandat postius inchoquatus et incomprehensibilem Christi amorem eorum nos, quos illo dicit, ut illorum etiam minima in regno celorum facias isti, primarios enim ab dominis. Nec

video eum non pari ratio minor forene dei possit, sed Hebr. 2, 7. dicitur: quia ceteros (minores fe-

cissi) aucto/ρεσινητες alios. Sed intelligi videtur in appositione versari in principio et

in posteriori ratio major. In proposito cum Thophylacto, Mayo etiis obseruamus, Christum ita

de loqui cunctis et seu opinione locutorum, p. 20. illa quoniam nos locum minorem esse in regno

celorum patatis, est minitornis maior ipso. quoniam si serua etiam extra munera corporalium,

sanum prebeat, Christum, ut minor potest, qui se in regno regio magis quam locum vel quisquam

demisit, adeo ut reg. ipsi discipulis peccata lenante, se veluti servum facerit. quo ipso meruit id

ipsum quod Christus luc. 9, 48. dicit: εἰρηνολόγος ἐπιτάλλει εἰρήνην ὑπέκειται, διὸς εἰς της

Verbo

Ad II. ref. cunctando:  
Quisquid Scriptura S. concentra usquam firmatur, sive recte ἐγράφη, sive recta נִרְאָה, illud scripta in  
probatur. Hoc vero negamus minorum. nam recte dicentes concentra Scriptura, s. v.g. Iohannes ipsa in  
hunc modum de Christo testatur qđ Ioh. 1, 15. ὁ ὄντα ) 10 ( εὑρέθεις, επιρρόεις  
reponer, τοι πάλις πει το.

§. 7. Quantum ad paupertatem atque miseras Mel-  
tem v. 2. et 7. Cetera videntur  
Esperor ερχεται εν αἰδί Vates, Rex tuus veniet, iustus atque salutatus ille est, עַבְרִי MI-  
TE, εὐλογεστος εν ομιλίας SER, asinoque & pullo asinino uestus. Vbi ante omnia ob-  
seruam propria, veram & præcipuum huius nominis  
in επιτίθεσιν ira domini significationem. R. Salomo & D. Kinchi illud exponunt  
ii. v. 30. et Ioh. 3, 30.  
legg. Expositor δε εὐρύτερον  
επεὶ δὲ εἰσερχεται εἰδει  
Hac limitabore nomen opp. ταὶ σωρεαῖς propriæ tamen non τῷ עַבְרִי  
significatio licet consequens sit, & h.l. includatur, coll. allegatione Matth. XXI, 5. וְאֵת וְבָא סִלְעָנָה τְּזֵבֶחַ  
et quia in Scripturis mal. ταὶ σωρεαῖς propriæ cognato non τῷ עַבְרִי competit, sed  
he. sunt ταὶ σωρεαῖς עַבְרִי. Id quod ex omnium exemplorum indu-  
ctione facile demonstratu foret. Potius vti Messias Esa.  
mel tamquam occurrentes.

Ad III. ref.  
Eesse petitiones principij,  
nam proibitiones locorum,  
summis, quod εἰς in que-  
pione εἰς loca genuinaria  
nominis diei, parallela strama Sedet inter adfictos, qui portant morbos. Ex quo simul pa-  
ctibet, seu i dom hic dies, metum neminem, nisi MESSIAM. Hoc vero egregie confir-  
mat R. Salomo in Comm. ad h. l. או אָשָׁר לְפָנָיו אֲרָא  
ול מלך המשיח Non potest hoc, inquit, de vlo alio, quam  
de Messia, explicari. Idemque ad illud Et. XXVI, 6. Pe-  
des עַבְרִי pauperis &c. adnotat: מלך המשיח שנ' בו עניר רוכב  
עַבְרִי Hic Pauper est Rex Messias, de quo dicitur in Za-  
charia: Pauper & insidens asino. Pariter D. Kimchi vniuer-  
sam hanc sectionem exponit על המלך המשיח de Rege Me-  
ssia. Et in Midrasib Cobelet b. 85. d. ait R. Barachias exsen-  
tentia R. Haaci: כֹּוֹאַל רָשָׁן כֹּוֹאַל אַחֲרָן כֹּוֹאַל גָּאַל

רָשָׁן. Sie εἰ δ. Contra vero Valg. pauper. εγράφεται γραμ. εις τὸ οὐρανόν ab Arabe ex Lxx. per pers. γραμ. summis sepe conuectum fuerit. Ceterum Scriptores N. T. subinde ut, legimus τὸ δ. εις τὸν τόνον τοῦ Hebreos differunt. v.g. Ps. 40, 7. εἰς τὸν τόνον Hebr. 10, 5. Καὶ μεταγράψεται Gen. 47, 31. Αδωναιών Isreal fuisse οὐαίτης, Hebr. 11, 21. εἰτι τὸ οὐρανόν τὸν γράψεται εἰτι. εἰτι-εἰτι, εἰτι-εἰτι, Hebr. 7, 20. οὐ εἰτι-εἰτι. Videbatur rem ipsam magis quam vobis afflentibus, et virtutem ne spiratione demonstaret maluerent, quem criticas agere; profectionem cum vix sine offensione fuisse, cum suuferet. Ita tertium alter citasset alij erat in Lxx. praeceps versio inter gentes usi recepta erat.

( ) ( )

ראשון נאמר ויקח משה את אשׁר ואת בנו וירכיב על Redemtor  
ההמָרוֹ כְּךָ גּוֹאֵל אחריו שֶׁנַּעֲנִי וּרְוכּב עַל חָמָר posterior (Messias) analogiam habet cum priori (Mose): Quid enim scribitur de priori? Sunist Moses uxorem filiosque suos, & asino vexit eos Ex. IV, 20. Sic de Redemtore posteriori dicitur: Adfilius & insidens asino. Denique in Midrasch Tillim f. 47. a. ad verba illa Ps. XC, 15. *Exbilara nos secundura dies quibus nos adflisti*, notant Rabbini, כי מותה secundum dies MESSIAE, cum scholio subiecto: ו/orioש ענינה מלשן עני זורכב על חמור כלמר במוות עני Alludatur in hac expositione Verbi Adflisti nos, ad locum Zacharia, Adfilius & insidens asino: quasi diceret, secundum dies עני seu Adfili nostri.

§. 8. Sed dum ad hoc Nomen antiquitatis testimonia allegamus, intactas vix possumus relinquere difficultates, quibus Iudei se ipsis involunt in conciliandis Scriptura locis, Messiae aduentum modo ut humilem descriptibus, modo ut gloriosum atque illustrem. In Tra-  
statu Talm. Sanhedrin c. XI. f. 98. a. ferunt R. Iosuam filium Leuidixisse: כתיב וארו עם ענני שפיא כבר אנש אה ורכוב על חמור ענו ורכוב על חמור זכו עם ענני שם לא זכו עני ורכוב על חמור Scriptum est de Messia: Et ecce cum nubibus celo veniebat in star Filii hominis Dan. VII, 13. Et tamen (quod huic contraria-  
ri videtur) Zach. IX, scribitur, fore illum Pauperem, seffurum asino? Videlicet, si emeruerint Israelite, sancte pieque viuen-  
do, veniet Messias cum nubibus celo; si minus, pauper & se-  
furus asino. Eamdem cantilenam repetit lalkut Schimeoni Part. II. f. 156. d. & D. Kimchi in Comment. ad Esa. 59, 16. Hac vero conciliatione, quia in Scripturis S. fundamen-  
B 2 tum

tum nullum habet, nodus non tam resolutur, quam se-  
catur. Alia igitur via, quanquam æque infelici, incedit  
R. Saadias in Comm. ad Dan. 7, 13 Nam ubi illum cum  
nubibus aduentantem **MESSIAM** esse professus fuerat,  
obiiicit ipse sibi: **כִּחְוֹב עַל־מָשִׁיחַ עֲנֵר וּרוֹכֶב עַל־חָסָר**.  
Nonne vero scriptum est de **Messia**, pauperem illum fore **סְפֻרְמָגָעָא אֲסִינוּ?** Ac pugnam hanc apparentem ita concilia-  
re conatur: **אֶלָּא וּבוֹא בְּעַנוֹתָה כִּי לֹא בָּרוֹא עַל סְסָמִים בְּגָאָה**  
וְasher כָּחֵב עַם עַנְנֵי שְׁמַיָּה חֲנֵה עַם עַנְנֵי הַשְׁמִים הַם מֶלֶךְ  
**צָבָא הַשְׁמִים זֶה חַי רַב הַגְּדוֹלָה שְׁירֵן הַכּוֹרָא לְמַשִּׁיחַ וְגַזְאָזָן.**  
**Nimirum apud Zachariam sensus est, fore,**  
**ut humiliter veniat, non elate super equeis: nubes vero,**  
**quarum Daniel mentionem facit, sunt copie celestes Angelorum;**  
**& hoc erit maiestas, quam Creator Messie dabit &c.** Quapropter magnitudinis descriptio non proprie, sed tropice in-  
telligenda est. Peccat vero contra genuinam Zacharie  
mentem: cf. enim qua §. f. de vera vocis **עֲנֵר** significatio-  
ne dissertauimus. Porro Iudaicæ vertiginis documen-  
tum & hoc est, quod A. Esra in Comm. ad Zach. 9. scri-  
bit: **מֶרְשָׁנִים תְּחַלְּקוּ בָּה שׂ אָמְרוּם כִּי זֶה הַמֶּלֶךְ הוּא:**  
**מֶשְׁיחַ בֶּן כָּסְף.** Interpretē bic dissentiant:  
**sunt enim qui Regem bunc asserunt esse Messiam filium Dani-  
idis; ali⁹ vero, Messiam filium Iosephi.** Cf. a nobis dicenda  
§. 16. Quanto facilius vero **ἐναντίον Φαύσιαν** Scripturæ sol-  
vissent, si cum Christianis vtrōbique viñus quidem Messiaæ  
aduentum, sed tempore & qualitate diuersum, intellexiſ-  
sent, videlicet primum eumque humilem apud Zacha-  
riam, alterum vero eumque gloriosum apud Danielem  
Prophetam?

§. 9.

§. 9. Idem *Zacharias* l. c. Messiam vocat נֶשֶׁע *Sal-*  
*uatorum* vel *Saluandum*: cuius Nominis ratio ab eo, quod  
modo explicauimus, haud multum dissidet. Nam licet  
vix dubium sit, quin illud נֶשֶׁע *saluandus* consequenter  
etiam *Aetium* מָוֵישׁ *Saluator* includat, quia Christus,  
dum e passionibus ac morte salutatus ipse est, omnibus  
quoque, qui ipsi obtemperant, causa salutis aeternae ex-  
stitit Hebr. V. 7. 9. attamen, si Grammaticæ ratio haben-  
da, passua vox respectum quam maxime habet ad vol-  
untariam Christi exinanitionem, hoc est, ad passiones  
atque miseras, ex quibus eripiendus ipse erat, si seruare  
alios veller. Bella est Rabbinorum de hoc similibusue  
Passiuis obseruatio in *Ialkut Schimeoni* P. II. f. 87. a. Dixit  
enim illic R. Albo שְׁלֹךְ יְהוָה אֱלֹהֵינוּ: Et tua (o Deus  
vel Messia) & nostra es redemptio, h. e. tibi ac nobis saluti  
fuit. Id vero ut magis perspicuum fiat, pergit ibidem R.  
*Barachias sacerdos*: רָאָה מִתְבַּחֲבָבָה צִיּוֹן הַרְוִי  
וּרְשָׁלוּם הַנָּהָמָה מֶלֶךְ יְבָא לְךָ צִירָק וּמְשֻׁעָד  
*En! quid scriptum est, Exulta valde Filia*  
*Sionis, tubila Ierusalem; ecce Rex tuus veniet tibi iustus &*  
*saluatus. Saluans* (vti videbatur scribendum) hic non  
scribitur, sed saluatus vel *saluandus*.

*Sic &c. reg. b. 7. v. 1. Volg.  
et saluandus. Ion. 7. 21.  
Syr. 100. 90. 11. 6. 9.*

§. 10. Quantum ad passiones Christi, quas חַבְלָה קְשִׁיחָה Hebræi vocant, varia illæ nomina dede-  
runt Messiae, quæ vero vix ullibi expressiora aut magis cu-  
mulata cernere licet, quam Es. Lill. Vocatur enim v. 3.  
אֲשֶׁר חַדְלָה אֲשִׁיכָה Contemps, flaccidissimus virorum,  
אֲשֶׁר פְּנִים Notus morbo, וּרוּחַ חַלִּי Vir dolorum, מִכְאָבוֹת  
מִכְחָא לְחִים, quo facies occulatur; & v. 4. נְגִעָה Plaga adfectus,

*Percussum a Deo, מענה Adfectus.* Messiam vero hunc esse, qui sic describitur, id opera pretium est, vt ex Iudaicis monumentis & antiquitate curatius indagetur: præser-tim cum recentiores Hebræi id agant plerique, vt vaticinum hoc pulcherrimum ad alium quemuis potius de-torqueant, quam vt de Christo id agere fateantur. Enim vero præclare R. Moses Alshech in Comm. חנוך רול פה אחר קיוסוקבלי כי על מלך המשיח והרבר felicis memorie, ore uno statuerunt & per traditionem a maioribus acceperunt, quod de Rege Messia Vates loquatur. Sic Paraphrastes Chaldaicus, qui sub initium huius lectionis Messiam diserte nominat cap. Lll, 13. הא יצליח עברי Ecce prosperabitur Seruus meus *Messias*. Et ipsi Talmudistæ Tr. Sanbedrin c. XI, f. 98, a, quum de criterio Messiae quæsitum fuisset, leguntur ex v. 4. ipsius capitil huius respondisse יתיב בין עני סוברי חלאן Sedet inter adfictos morbis oneratos. quod ipsum repetitur in Ial-kut Schimeoni Part. II. f. 86. a. Denique in Medrasch Ruth f. 46. d. docent ingenue: מורה במלך המשיח וג' אלו ויזורין שנ' ורואה טבשנין Textus loquitur de Messia &c. He igitur sunt passiones ipsius, sicut scriptum est: Ipse sauciatus fuit propter prevaricationes nostras.

§. II. Ex his ipsis vero nominibus, quæ modo ex Esa. Llll. adduximus, illud נגוע Plaga adfectus adhuc speciatim considerari meretur, quippe sub quo, tanquam symbolo breui, veteres videntur vniuersas Christi passiones in primis comprehendisse. In Tr. Sanbedrin, quem identidem hic allegamus, cap. XI. f. 98. b. cum de Messia nominibus non nemo questionem mouisset, præter

alia

ורבן אשר חיוורא דברכ רשות אבן  
זהלנו והוא נשי ומכווננו סכלת ואנחנו דשנחו נמי  
Dicunt Rabbini nostri, *Messie nomen*  
*prophetae* מוכחה אלחישת ומעונה  
*esse Leprosus de domo Rabbi*, scit scriptum est: *Profecto mor-*  
*bos nos pros ipse tulerit*, & dolores nos pros portauit, nosque re-  
putauimus ipsum (נָגַע) *PLAGA adfectum*, percussum a Deo  
& adfictum. Quæ ut rectius intelligantur, duo de Talmudico illo adjutabimus. Primus est, quod al-  
bum alias denotet, hic vero metonymice *leprosum* כְּבֹרֶשׁ,  
vti Scholiares Talmudicus exponit coll. Ex. 4, 6. Se-  
cundum, quod illud ipsum nomen Hebraico *plaga* נָגַע, adfictus, dē quo nunc diximus, respondeat. Notum est  
scilicet, in Leuitico (v. g. Leu. 13, 3, 4, 5, 6, 22.) vocabulum  
נָגַע ita interdum capi, vt *plagam lepra* καὶ ἐπιστολαιαν  
denotet. Pari igitur modo etiam h. l. Participium נָגַע  
de *Leproso* in rellexerunt, æque ac *Theronymus* in Comm. ex  
Græcis Versionibus explicat: *Et nos putauimus eum esse im-*  
*mundum*, sive εἰ πόνω, id est, in dolore, vt *LXX*, transtulerunt;  
pro quo Aquila & Symmachus posuerunt *Leprosum*, Theo-  
dotio flagellatum. quod atis verbis Hebraico idiomate le-  
pra intelligitur, iuxta illud, quod in *Psalmo* scriptum est: Et  
flagellum non appropinquaret tabernaculo tuo Ps. 90, (91)  
9. -- Pro eo quod Symmachus transtulit εἰ πάθη ὄτα, hoc  
est, in lepra, Aquila, posuit ἀλφηνερόν, id est, leprosum,  
quod multi non intelligentes putant relictum, & alii legunt  
καθηνερόν, id est, sedentem. Quod vero *Leprosum* illum  
de domo Rabbi cognominant, id tanquam obscurum & ab  
instituto nostro alienum mittimus, ridicula glossemata  
Iudeorum: ipsis relinquentes.

Vulg. veritatis  
leprosum, et

## §. 12.

הַבִּין אֲלֵיכֶם תְּקִוָּה *Transfixi* s. *perfetti*, ex *Zech. XII, 10.* לְפָנֶיךָ אֱלֹהִים  
לְפָנֶיךָ אֱלֹהִים קָדְשָׁךָ; coll. que ibi (sub 141, 1) ex Rabbini's adnotauit. Una occasione in meatem venit  
probrum illud quo A. E. *Era* Messianum noscum non pupugisse sed transfixisse ibi videt  
in suo *Tractatus* p. 167. 6. ubi cum recte quidem existimat, ab *לְמַעַן* *Hebraic Limenon*  
voce, non in Paul *אֲלֹהִים*, *נָרוֹא*, *יְבוֹשָׁה*, *סְדָרָה* *אֲמֵת*: *sed in Niphah*, *רָנוֹת* *אֲמֵת* *centerum*:  
יראו כי אֲלֹהִים שְׁנָתוּם הָלַךְ בְּנֵי חַנּוּ מִגְּזַרְתָּךְ יְהָה בְּנֵיכֶם' וְאֶלְהָה הָעָרְלִים הוּא הָיָה  
כִּי בְּחַצְבָּתְךָ נִמְצָא הָגָטָר בְּגַזְתָּךְ מִבְּרַךְ הַשָּׁם'.

§. 12. Quam arduæ vero fuerint passiones Christi,  
& quam profunda exinanitio, ipsemet per totum Ps.  
XXII. lamentabili voce explicat, in primis v. 7. vbi se vo-  
cat **הָרָעַת וְרָא אֶשׁ חֲרֹבָת אָדָם וּבוּעָת** Vermiculum, &  
non virum, probrum mortaliū, hominumque contemps-  
sum. Quod vero hæc lamenta Messiae sint, Christiani  
quidem ambigere nequeunt; verum ex Iudeorum mo-  
numentis id commonistrare, hoc nostri est, quod suscep-  
imus, officii. Ab interpretibus illorum litteralibus pa-  
rum hic exspectare licet, quorum figuramentum est, quasi  
vel David ipse, vel populus Israeliticus huius Psalmi sub-  
iectum sit. Antiquæ vero explicationis vestigia super-  
funt in *Talkut Schimeoni* P. II. f. 56. c. d. ex quo supra §. 2.  
nonnulla iam dedimus. Dicitur enim illic Deus sub ini-  
tium mundi cum Messia transfigisse de saluando Israele,  
בעוניהם של אל עתר לשונך Propter delicta borum lingua tua  
הברך בחרך צורך בך adborebit palato tuo, (en igitur v. 16. huius Psalmi de Mes-  
sie expositum!) **אִמְרוּ שָׁׁבֻעָתְךָ תֵּאֱמֹן בְּצָרָתְךָ** Item  
שben רוד בא בומביין קורות של ברזל ווותניט לו על צווארו  
ער שנכפף קומתו והוא אעכג בוכחה וערלה קלו למוטס וגנו  
על אורה שעדריה רוד בוכחה ואומר יבש כחראש **Dixerunt**: *Hebdomade illa, qua veniet Messias filius Davidis, ad-  
ferent trabes ferreas collo ipsius imponendas, donec statura  
eius incurvata fuerit; ipseque clamabit ac flebit, ita, ut ad  
celum ascendat vox eius &c.* Propter hanc boram fleuit  
David, dicens: *Exaruit sicut testavis mea.* Quæ sunt ex eo-  
dem v. 16. sumta. Ac ibidem denuo Paſſiones Christi  
בכל י. **וְהִי מְחַרְקֵן**: **שְׁנִינָה**

שׁוֹנְיהַת וּמִרְכּוֹז בְּעִינֵיכֶם וּמִנְעָנֵיכֶם בְּרַאשֵיכֶם וּמִפְטְּרוֹן  
בְּשְׂפֻתְּהוֹתֶם שֶׁגַּל רֹאֵי וּשְׁיוֹנוֹ לְיִוְטְּרוֹ בְּשְׂפֻחָה וּנְיוֹנוֹ רַאֲשָׁה  
Quoridic frēdēnt inimici dentib⁹ suis, innu-  
unt oculis, mouent capita, ac distendunt labia sua; quemad-  
modum scriptum est Ps. XXII, 8. Quicunque me vident, san-  
nas mibi faciunt, dilatant labium, agitant caput. Quin &  
NB. per totum illum Psalmum. Totidem fere verbis hæc  
etiam exstant in Psikta Rabbetha, cuius excerpta, ad præ-  
sentem rem facientia, videri possunt in Edzardi Conf.  
Antiquit, Iud. p. 1. 2. 3. 4.

§. 13. Huiusmodi igitur Messiam quum nollent principes Iudeorum, alium quemuis cupientes, quam qui passionibus, conuictis atque verberibus esset obnoxius, ipsi, reprobato Christo, voces non solum Propterum, qui per omne Sabbathum legebantur Act. XIII, 27. sed & magistrorum suorum, ignorantes impleuerunt, & ad hunc usque diem continuo implent. Nam quod Petrus Act. IV, 11. ait, Christum esse lapidem ab architectis, id est, primatis ac senioribus Iudeorum reprobatum, id diu ante prædictum fuerat Ps. CXVIII, 22. ubi Messias ab hoc euentu nominatis אָבִן מְאָסָה הַבּוֹנִיס : & hoc ipsum oraculum Lapis quem reiecerunt Architecti: : et hoc ipsum oraculum de Messia exponendum esse, ex Rabbinis haud defunt, qui suo calculo adprobabant. Illustre est Abarbanelis testimonyum in Comm. ad Zach. IV. f. 285. a. האבן הבבורי ששהוא רמז אל מלך המשיח והוא אבן מאסון הבוני את בית ד' והוא והוא אבן מאסון הבוניות היה להראת בראש פנה Lapis stanni in manu Zorobabelis, typus Regis Messie, genus ab ipso Mich. V, 1. ראו הירוגה כ

היות צער במשפחות יהודה עפני פקלה רות המtabiah שבר טמן יגא ל טעה Vide que in diss. de Nomina in Chapter Au. manam ipsius nazarensis deffigantibus f. III. et IV. de גָּדוֹלָה אחר פרישתי Allegant item originem a Peretzo, ex incestu cum Thamar nato. Vide Ruth Rabba diss. Ampli. f. 35. d. lin. 11. sqq.

*ab ipso ducentis, qui edificabit domum Domini, & erit lapis, quem reprobarunt architecti, qui vero eusist in angularem lapidem.* Et R. Salomo in Comm. ad Mich. V, 2, cum Messiam Bethlehemae nasciturum esse dixisset, loco ob Moabiticam Rutham impuro, addit: **זֶה הוּא אֹוֹרֵב אָבִן מַסְכָּה** **הַבְּנִי** Ita enim dicit Psaltes: *Lapis quem reprobarunt architecti.*

§. 14. Nomina ipsa (*Lapis ab architectis reiectus & angularis*) qualia sint, D. Kimchi satis bene in Comm. suo exponit, nisi quod in constitudo vero subiecto de trahite aberrat ipsius oratio. *Quod si de Israele,* inquit, *boc dicitur, uniuersus Israel vocatur Lapis metaphorice, quoniam Israel est fundamentum structura mundi propter statuta sua ac ritus.* Reges igitur aspernati sunt eos, quasi indignos ut vel vulgaris lapis edificii essent, tantum abest, ut dignos eos existimassent constitudo angulo: quasi sentirent, mundum eis non indigere. *Sed ecce tempore salutis eusist Israel in caput anguli.* *Quemadmodum quis solet angulos domus maximis pulcherrimisque construere lapidis, ad firmandos atque stabiliendos ceteros edificii lapides.* Ita Israe-*el aliquando ficit caput anguli ac stabilimentum mundi.* Unde nos, mutato subiecto, iustissimam hanc facimus imitationem. Quod si de Messia hoc dicitur, (dicitur vero omnino, quemadmodum §. 14, ex ipsis Rabbini demonstrauimus) ipse vocatur lapis metaphorice, quoniam Messias est fundamentum structuræ mundi propter meritum suum aeternum. Seniores vero ac principes populi Iudaici aspernati sunt Messiam quasi indignum, ut vulga-

¶ 19 ¶

vulgaris lapis structuræ sit, tantum abest, ut eum constitueret angulo idoneum reputassent: quasi sentirent, mundum ipso non indigere. Sed ecce salute nobis parta eius in caput anguli: quemadmodum --- lapides. Ita Messias est caput anguli ac stabilimentum mundi.

S. 15. Nec minus hoc pertinet, quod Esa. VIII, 14. Messias tribulibus suis offendiculo fore prædictus fuit; unde illuc נָגֵף וְצֹר מִכְשָׁלָה Lapis offensionis & Petra scandali vocatur. Etsi enim Christus per se fuerit Petra *καὶ ἀνδρῶν πολλῶν εἰς τῷ οἴκαντι*, tamen quod humiliitate ipsius plurimi offenderentur, *ιες πτάσις καὶ εἰς σημεῖαν αὐτοὶ οὐδέποτε* (Luc. II, 34.) non sua culpa, sed ex accidenti evasit. Hanc in rem exstant Talmudicorum verba in Tr. Sanbedrin c. IV. f. 38. a. vnde exscripta repetuntur in Ialkut Schimeoni Part. II. f. 43. c.  
אַנְכִּי רֹד בָּא עֲדַשְׁכָּלוּ  
שְׁנִי בְּתוּ אֶבֶות יִשְׂרָאֵל וְאֶלְוֹ חַן  
שְׁבָרָא יִשְׂרָאֵל שְׁזַח וְחוּיה לְמֻקָּשׁ וְלְאָכֵן נָגֵף וְלְצֹר מִכְשָׁלָה  
Quæ quidem Coccoeius Latine sic redidit: *Non venit filius David (Messias), priusquam defecerint due prospicie ex Israele; nempe stirps capitum dispersio-  
nis Babylonica & principum in terra Israeles. Quemadmo-  
dum dicitur Esa. VIII. Erit (Filius David) in sanctificatio-  
nem, & in lapidem allisonis, & rupem offensionis, duabus  
familia Israeles. Per capita dispersionis intelliguntur  
Aechmalotarchæ Babylonici, per principes vero in terra  
Israeles, posteri Hillelis, coll. Sanbedrin c. I. nostram ve-  
ro hic facimus obseruationem Coccoei, quam Exc. Gem.  
„Sanbedr.“ p. 212. ad fert: Notata dignissima est, inquit,  
C 2 „hæc*

*capit  
princeps*

„haec Rabbinica de Christi persona testificatio. Qui ab  
 „Esaia dicitur *Dominus Zebaoth*, is Rabbinis est *filius Da-*  
 „*vid.* Considerandum etiam, quod agnoscunt, euentu-  
 „rum, ut Messias eiusque doctrina scandalo sit & summo  
 „exitio principibus populi Israelitici, propter inobedien-  
 „tiam dubio procul. *τίς γαρ τῶν ἀποχετεων ἡλίσυσθαι εἰς ἀντόνιον*  
 Ioh. VII, 48. Nimirum licet obscuritate sua labore hic  
 locus, haetenus tamen satisfacit nobis, quod oraculum  
 illud Esaianum de Messia Dauidis filio explicat.

§. 16. Restat, vt de duplici, quem fingunt Iudei,  
 Christo aliqua differamus. Iuuat autem haec indidem-  
 repetere, unde praesens de Nominibus Christi fluxit tra-  
 &atio. Multa videlicet in sacris litteris gloriosa, sed &  
 humilia multa de Christo reperiuntur: quæ cum concili-  
 liare Iudei in hunc modum nollent, vt de uno Messia  
 ex diuersi status respectu diuersa tradi existimarent, eo  
 tandem prolapso sunt, vt duos esse Christos statuerent,  
 unum *מֶשִׁיחָה בֶן דָוִיד* *Messiam filium Dauidis*, quem & sim-  
 pliciter *בֶן דָוִיד* *Filium Dauidis*, aut *מֶשִׁיחָה בֶן יְהוָה* *Messiam*  
*filium Iude adpellant; alerum vero* *מֶשִׁיחָה בֶן יְהוָה וּסְפִירָה* *Messiam*  
*filium Iosephi*, quem & *בֶן אַפְרַיִם* *Ephraimi filium* nuncu-  
 pant. Vid. Buxtorffii Lex. Talm. col. 1273. & Raymund.  
 Martini Pug. fid. f. 329. seqq. Nimirum adeo tenaciter  
 haec Iudeis opinio infedit, vt Paraphrasibus Biblicis ipsis  
 eius vestigia impresserint. quippe *Targum Cant. IV, 5. &*  
*c. VII, 3.* sic habet: *תְּרוֹן פְּרוּקֵךְ רַעֲיוֹן לְמִפְרָקֵךְ מֶשִׁיחָה בֶן*  
*רוֹן* *וּמֶשִׁיחָה בֶן אַפְרַיִם* *Duo Redempto-*  
*res tui, qui te rediment, Messias filius Dauid & Messias filius*  
*Ephraim,*

Ephraim, sunt similes Mosi & Aaroni. Dicitur autem filius Ephraimi in Ialkut & Rabboth מְשׁוֹתָר כְּלַחֲמָה Vnctus belli vel ad bellum; & contra Filius David Vnctus in ישׂנִית וַיַּחֲזֵק עַל־יוֹהָה מֶלֶךְ מִצְרָיִם sic dico, seu Filio David, nominatur etiam Vnctus ad bellum: in quem locum subiecta glossa auctoris Mattnot Kebunna sic habet: בְּמִסְכַּת סֻכָּה בְּנֵי חֶלְלִיל לֹא מְשׁוֹתָר כְּלַחֲמָה In Tract. Succa (vbi de duplicitate Messiae) מְנוֹנָה בְּמִקְמוֹת כְּשִׁיחָה בֶן יוֹסֵף agitur Messia non legitur Vnctus belli, sed loco eius est Messias filius Iosephi. Igitur Rabbinorum scripta voluntariamente cœendum, ne putet hunc titulum מְשׁוֹתָר כְּלַחֲמָה esse solius sacerdotis, qui oleo perfusus tempore belli constituebatur, ut ad populum dicere. Quinque timidus & mollis corde est, recedat a prælio, ac domum redeat: est enim & Messiae & sacerdoti isti communis; quod vero Buxtorffus in Lex. Talm. adnotare prætermisit. Quando vero in Bemidbar Rabba f. 256. a. alium nescio quem vocant מִשְׁרָח Messiam ex filiis Manasseh exstiturum, quem non solum Filius David, sed etiam שָׁמָר בְּנֵי שָׁלָמָנָה CONTRARIUS Vnctus belli, qui ex tribu Ephraim veniet, contradistinguunt, id tale est, fateor, ut haud capiam.

§. 17. Ex iis, quæ diximus, patet, nomen illud Messias filius Iosephi vel Ephraim, si emendatori sensu & secundum rei veritatem acciperetur, sublato (quem vot)

vet) pravo Iudaismo, statum exinanitionis potuisse significare, atque adeo locum in enarratione nominum Christi, hunc statum designantium, nancisci. Sed Rabbini, dum doctrinam de exinanitione Messiae isthoc commento peruerunt, faciunt certe, vt multis in locis Scripturæ ipsi, vtrum Christorum interpretari debeant, nesciant. Cuius rei exemplum iam supra §. 9. ex 4. Eſra deditus, qui negat scire interpretes, vtrum Zach. IX, 9. Messias Dauidis, an Iosephi filius describatur? Eodem in luto hæret Abarbanel in Comm. ad Eſa. Llll. quod caput cum Ionathan & veteres Rabbini de Messia exponant, ignorare se quidem ait, quem illi intellexerint Messiam, filium Dauidis, an Iosephi? nam si intelligi debeat filius Dauidis, nescire se tamen, quomodo dici de eo possit, משנה מאי ש corruptionē ejus, quam illius viri, species illius, item רְאֵהוּ יְרוּעָה notus morbo &c. Sin Filius Iosephi, obſtare hanc difficultatem, quod de eodem dicatur, וְנִשְׁאָה גַּבְּהָה fore ut exaltetur, & sublimetur, & altus sit valde &c. Immo nihil aliud obſtat conciliationi, quam præſumta de duobus Messiis opinio. Ergo quod ſupereft, Deum immortalem rogamus, velit nos in agnitione Christi, Servatoris noſtri vnici, conſirmare, eundemque misericordia & occecatis Iudeis pateſacere, vt qui lapis scandali per plura ſæcula ipſis fuit, tandem aliquando *אֶל־דָּבָרָיו* miſerrimæ genti conuertatur!

F I N. I S.

## Corollaria.

### I.

Recte afferunt Iudei, Missam ante mundi initia a Deo predestinatum fuisse, ut genus humanum, cuius lapsum ille preniderit, passionibus suis repararet. Vid. R. Moses Alschech Comm. in Esa. f. 36. a. 1 P. 1v. 1, 20.

### II.

Aiunt, Nomen Messie dictum fuisse ab eterno. Vid. Talm. Tr. Pesachim c. 4. f. 54. a. & in Tr. Nedarim cap. 4. f. 39. & Paraphrases Chaldae, ad Mich. 5, 2.

### III.

Perperam vero Messiam ipsum pro creato ab initio habent. Vid. verba, quum ipsum crearet, que supra §. 2. ex Ialut Schimeoni attulimus.

### IV.

Ad Nomina Exinanitionem Christi designantia suo modo referri potest מֶלֶךְ Germen Zach. 6, 12. de quo alibi.

### V.

B. Tarnouius Comm. ad Zach. 3, 9. Graci, inquit, Hebraam vocem צָמָח male verterunt ἀντολῆν, confundentes eam cum זָרַח vel בָּזָרַח. Cui vero Hieronymum, rectius id nomen euoluentem, opponimus, qui ad c. 6. Oriens, inquit, quod Hebraice dicitur צָמָח -- id est, ἀντολή, vel ἀναφύη, sive βλάσπεια, -- id est, germanus; quia ex se repente succrescit, & ex radice sua in similitudine germinis pullulabit.

### VI. Mef-

VI.

Messiam Filium Iosephi, de quo §. 16. 17. diximus, bello  
occubiturum esse Iudei fingunt, eundemque erronee pro  
CONFOSSO, cuius Zach. 12. 10. emphatica sit mentio,  
habent. vid. R. Sal. Comm. ad illum locum, & Talm.  
Tr. Succah f. 52. a.



IV.

Bb 278

ULB Halle  
004 145 070

3







*De Nominibus Christi cum apimur, facile liquet sermonem nobis esse de Nominibus non propriis; sed ventibus, qualia censentur illa Esa. 9, 5. De Nominibus vero propriis, et quicunque Moslemos dicitur esse. Nomen enim est appellatione vel nota rei. Sic de Nominibus dei sunt qui scripsere.*

*Q. D. B. V.*

Z. D. B. V.  
DISSERTATIONEM PHILOLOGICAM  
EX ANTIQUITATE IUDAICA

**M** Philologicam dicimus ratiōne  
principij, ex quo deducitur,  
modi, quia tractatur, et  
finis, no quen diliguntur.

*De*  
**NOMINIBVS  
CHRISTI,  
EXINANITIONEM IPSIVS**

DESIGNANTIBVS,  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,  
**DN·PHILIPPO WILHELMO,**  
PRINCIPE BORVSSIAE, MARCHIONE  
BRANDEBVRGICO, ET DVCATVS MAGDEB,  
GVBERNATORE, CETERA,  
*Consentiente Amplissimo Collegio Philosophico,*  
PRAE SIDE  
**M. CHRISTIANO BENEDICTO**  
MICHAELIS,  
FACVLT. PHILOSOPH. ADIVNCTO,

IX CCCI CIS

*H. L. Q. C.*

**Publico Eruditorum examini subiicit**

Publico Eruditorum examini subiicit  
**HVL. SIGM. IORDAN FRIDERICI,**  
Rosla - Thuringus.

*HALAE MAGDEBURGICAE, LITERIS SALFELDIANIS.*

*HALAE MAGDEBURGICAE, LITERIS SALFELDIANIS.*